

248.
v. 3.

XI. II^d = Q.

(car. 54. 55)

x 27



14

SOLENNITER AC PVBLICE

LVDOS
FESTO SECVLARI
ALTERO
TRIVMPHALES
ACADEMIAE AD SALAM
IENENSI

f

AD VISVRGIM RINTELIENSIS

IV. NONAR. FEBRVARII

CIO IO CCLVIII.

GRATVLATVR

INTERPRETE

IOHANNE NICOLAO FVNCCIO

MARBVGENSI.

RINTELI

STANNO IOH. GODOFR. ENAX ACADEMIAE A TYPIS.

15



SOLENNITER AC PUBLICE

LVDOS

ESTO SREGVARI

ALTRIO

TRIVMPHATES

ACIDEMAE AD SALAM

LEANNIS

ND NUNQVAM RESTATVENS

IN TONIA TRIVMPLI

GLORIE CIVIT

CONTRIS

INTERVEN

IOHANNI NICOLAUS FRANCIO

MASTRO

ELITIT

FRANCIO JOH COOPER DVM ACADVMIA A TITL



* * *



arte irato iam diu nimis per misere afflictam et contremiscentem Germaniam, tantum non vniuersam, grassante, et vsque ad perniciem saeuiente, tanta Saxoniae Sereniss. Ducum atque Principum, Thuringiae Landgrauiorum, constanti ac indefesso pacis studio, pietas, sapientia, virtus, et erga mansuetiores Musas liberalitas est: vt hilares ac laetae, ad Salam iucundissima sede, inter ipsos circum se formidabiles armorum strepitus, institutis triumphalibus ludis, continuum seruare suum paena, dulcissimumque melos concinere audiantur. Ducentis hodie vna serie annis feliciter superatis, quod ex tabula templi nostri valuis affixa legistis, Auditores O. O. H. in Thuringia ad Salam fluuium florentissima Ienensis Academia, quam solennissime secundo sacra celebrat secularia, festumque primum supra ducentimum agit candidissimum natalem. Hunc illi omnes, quotquot bene cupiunt bonis, ex animo gratulantur: et nos inprimis, qui arctissimo cum illa, vel propter eadem studia, eandemque religionem, fraterni amoris ac necessitudinis vinculo sumus coniuncti, semper, atque nunc praesertim, in partem gaudiorum venire oportet. Ad hoc Ienenses ipsi per literas nos quam amicissime inuitarunt, atque felicitatis eiusdem ac deliciarum coram suarum esse participes iusserunt. Quoniam vero locorum magno interuallo diiuncti, nec praesentes, itineris atque temporis difficultate prohibiti, communem fautoribus nostris ex eadem illorum fortuna perceptam voluptatem coram testari non possumus: eum in finem quam lubentissime hac panegyri conuenimus omnes, vt eundem Ienensibus, ac nobismetipsis, festum

IV.

festum agamus diem, quo diuinitus et auspiciato illis academia, cum omnibus priuilegiis et immunitatibus, ante hos annos ducentos concessa, magnoque orbis literati ornamento clementissime adhuc, pristino multumque tot annis aucto virtutis et omnigenae eruditionis flore, conseruata: vt optimo et sapientissimo Numini pro beneficiis innumerabilibus gratum animum significemus: vt Principum academiae liberalium fundatorum atque conseruatorum piam recolamus memoriam: vt Musis Ienensibus felicitatem gratulemur praesentem, atque in futurum per secula plurima, ex ipsorum votis, laeta faustaue omnia apprecemur. Paucis ergo, hac frequenti virum eruditissimorum concione, ac solenniter institutis secularibus encaeniis, breuissime quidem, absque vulgari elegantiarum affectatione, perennem academiae omnium, vt Ienensis adeo commendatae, felicitatem floremque iucundissimum ab vno timore Domini dependere, demonstrabo: spe certa fretus, fore, vt tam polito ac sapienti auditorio veritas orationis pietasque dicentis multo magis, quam omnia verborum inanum lenocinia placeant.

Verissimum illud a pueritia didicimus, timor Domini est initium sapientiae: prorsus enim nihil is merito sapientibus sapere videtur, qui sibi non sapit, omnique simulata sapientia, sine timore ac reuerentia Domini, a quo salus vitaeque dependet vnice nostra, vitiis sceleribusque ad summam turpitudinem cumularus, in exitium ruit. In Deo fons omnis est sapientiae, cuius in pios ac summo Numini deuotos particulae tantum quaedam, ad originem eos suam trahentes, redundant: vt non sit mortale, quod optant, eiusque semet totos in finitae gratiae, ad summi boni perfectissimam vsuram, commendent, ab cuius sapientia ac immutabili arbitrio sumus, quicquid sumus, et habemus, quicquid habemus: vt vnice illi T. O. M.

Deo

Deo accepta referamus omnia. Ne homo quidem, ad vitam meliorem natus, nedum sapientiae studiosus, vel instinctu naturali, usquam, ut votorum fiat compos, sine timore Domini certoque cultu diuino esse potest. Scholae vero, quae, ut omnibus facillime patet, ab orbe condito, vbique locorum, ad formandam iuuentutem, fuerunt necessariae, vnum timorem cultumque domini scopum, vnum solidioris doctrinae fundamentum habuerunt. Quanto magis academiae, consulto tandem, post indignam nomine humano barbariem profligatam, ut sancti Spiritus ad veritatem et sapientiam officinae, Musarum i. e. bonarum artium et scientiarum omnium, vel vniuersalis studii adapertae sedes, sacra et iucundissima pietatis ac virtutum omnium emporia, illustria virum excellentissimorum, atque adeo felicitatis publicae prytanea essent, auctoritate publica et insigni liberalitate Principum optimorum, in plurimis Europae regionibus fundatae, vno timore Domini, cultuque diuino prorsus intemerato, niti debent. Numinis ipsius aeterni gratiae plena verissimaque vox est: qui me honorat, honos illi quoque attribuendus erit: qui vero me spernit, meaque reiicit praecepta, spretus semper et abiectus esto. a) Sic sane mortalium quique omnibus in locis, quam maxime vero in academiis, ut earum publica stabiliatur salus atque felicitas, et imperantes, et parentes, aequae vel inprimis docentes, ac discentes, vnum sapientiae, profectuum, atque fortunarum, in timore domini, siue haud infucata pietate, et constanti virtutum omnium exercitio, fundamentum ponant, necesse est. Si qui, sine timore domini, voluptatibus affectibusque suis indulgent, et maxima cum eloquentia studium sapientiae, ut nimis vulgare diebus nostris philosophiae nomen est, omnemque vel admirandam eruditionem prae se ferunt,

a) 1 Samuel. II, 30.

ferunt, ac velut sidera in orbe suo magnitudinis primæ suspiciuntur: mea quidem sententia, prorsus nihil sapiunt, nec prima doctrinae solidioris elementa didicerunt: vt academicorum vel eruditorum ne nomina quidem mereri videntur. Artes enim, vt profanus ipse pridem cecinit poeta, fideliter didicisse, emollit mores, nec finit esse feros. Imo sanctioris literaturae et eruditionis solidae, seu verae, fons, initium, subsidium, et finis est timor Domini: vt qui viri docti esse, quam audire, malunt, aeterno ac benefico Numini, cuius singulari gratia sunt, subsistunt, et rerum humanarum aerumnis quibusque conseruantur, deuoti, omnibus actionibus suis gloriam diuinam, et hominum pro viribus quorumque commoda quouis modo promouere studeant. Alioqui sunt nihili, ac ignominiosum terrae onus, ad summum ipsorum dedecus et irreparabile damnum, habentur. Ne quid de aliis ordinibus dicam, (pietas enim virtutum omnium regina procul dubio in omnibus esse debet) haud immerito a maioribus nostris, timore Domini non minus, quam eruditione, inclutis ac illustribus viris, academici, quodam peculiari honoris laudisque titulo, doctores et magistri sunt appellati, qui alios erudiant formentque ad bene ac beate viuendum. Quomodo non ipsi essent pii, qui, ad pietatem excitandam et fouendam, sunt aliis praefecti, vt vitia corrigantur et emendantur? Quomodo non essent pii, qui non, nisi bene praeparati ac domestica disciplina recte imbuti, studiorum gratia semet conferunt ad mansuetiores Musas; neque, nisi bene docti vitaeque honesta conspiciui, tandem in doctorum ordinem admittuntur? Quomodo non pii essent, qui inprimis et ante omnia semetipfos cognoscere et vincere didicerunt, quoties malos sentiunt excitari affectus, et inopinatam sibi mortem singulis fere momentis, aliaque vix superanda pericula imminere vident?

dent? Vel quomodo academia, membris quibusque suis, quas lectissima et nobilissima esse debent, sine pietate, vt radix et fundamentum est vnicum eruditionis, sapientiae, et omnigenae felicitatis, subsistere potest? Ipsi etiam a vera veri Dei cognitione alieni quam constantissime affirmarunt, ac ingenuè profiteri non dubitarunt, vitam hanc nostram sola religione ac pietate constare, legum in illa maximum esse praesidium, constans ac firmum disciplinae propugnaculum, stabile rerum publicarum fundamentum, constans et arctissimum amicitiae et amoris mutui vinculum, arcem concordiae tutissimam, infallibilem bonorum omnium fontem, Quanto magis nos, meliori disciplina et vera Dei rerumque diuinarum cognitione imbuti, qui nomen a teneris Christo seruatori nostro sanctissimo religiose dedimus, in id debemus incumbere, vt Deo dicatis academiis, ceu pietatis omniumque virtutum emporiis adaperitis, quam maxime illibatus Dei timor cum optimo scientiarum flore conseruetur, studioque insigni ad longam posteritatem propagari queat. Sic sane continuo veroque cum gaudio semper habere poterimus dies festos, si Deum amplectimur timore et amore filiali, nostrasque attollimus portas, vt gloriae rex, peccatis non obstantibus nostris, intrare possit. Timor Domini, pietas et religio ad Salam in Thuringia Ienensem academiam ducentos ante annos, ad immortalem Numinis aeterni gloriam, multaque regionis totius commoda et publicam felicitatem, fundauit, atque in hunc vsque diem candidissimum eius primum supra ducentos natalem, quod animis deuotis gratisque agnoscimus, florentissimam conseruauit. Posteaquam in Saxonia, nimis ingravescente malitia et vulgari superstitione, diu satis ac miserrime afflictam Christi ecclesiam, cum sanior et macula B. Lutheri doctrina, tum ipsius Saxoniae electoris FRIDERICI sapientis
et

VIII.

et optimi principis magna prouidentia, coeperunt vindicare, multisque ab erroribus repurgare: diuinitus illustrata, ac meliorem in locum reposita sunt omnia: sapiens autem elector, cum anno 1705. e vita decederet, eam laudem meritis est, ut princeps pietate et prudentia praestantissimus, iustitia et animi magnitudine nulli secundus, sapientiae domicilium, consiliorum thesaurus, legum defensor, controuersiarum finis, imperii Romani columen, patriae munimentum, morum speculum, decus principum, disciplina ducum, et ipsius quod nomen significat etiam, vehemens pacis amator, ecclesiarum et scholarum nutritius optimus appellaretur: quae simul omnia timor Domini, cum illa non vulgari principis sapientia coniunctus, ostendit. Frater eius atque in imperio successor, IOHANNES Constans, cuius symbolum hoc vulgo notissimum fuit, V. D. M. I. A. E. insignem habuit academiae Wittembergensis curam, eamque, ut contagii, pestis tempore, satis quidem praesenti eriperet periculo, et sartam tectam seruaret, anno 1707. Ienam transtulit, ac ibi, velut Musis iucundiori loco, non sine subsecuturae felicitatis omine, aliquantisper commorari iussit. Defunctum laudabilem hunc principem anno 1732. non minor patre filius excepit, IOHANNES FRIDERICVS I. Magnanimus et liberalis Ienensis academiae fundator, quamuis inaugurationem eius, immatura morte praeventus, ipse videre ac ordinare non potuit. Saluberrima fuerunt optimi Principis instituta, quibus quam maxime Dei gloriam, et subiectorum salutem, hostium praepotentum machinationibus et insidiis impeditam, vigilantissime ac prudenter curare, ipsamque veritatem et cultus diuini regulam sanctissimam vitae ac fortunarum iactura redimere maluit, quam ferre diuini inueteratam superstitionem, hominumque religiosorum saeuitiam, quae mirifice
 adhuc

IX.

adhuc tranquillitatem publicam et animarum libertatem inter-
 turbarunt: vt difficilium a timore Domini, quam fidera cum
 sole ab suo cursu retineri potuerit. Sic sane pro aris focusque
 non patriae solum, sed totius Germaniae, pugnans, Smalcaldico
 bello, cum exercitui fortis imperator praecesset, captus in prae-
 lio ad Muhlbergam anno MDXLVII. a. d. XVIII. Kal. Maii a
 Caesareis, non solum in custodia per integrum lustrum deten-
 tus, verum etiam electorali dignitate, quae ad MAVRITIVM,
 ex Albertinis Saxoniae ducem, transferebatur, cum aliquot, illi
 adhaerentibus, terris priuatus est. Etiam in captiuitate, maxi-
 ma constantia, religionem et euangelicam veritatem defendit,
 a CAROLO V. imperatore protestantibus oblatam creden-
 dorum formulam, quam Interim vocant, recipere noluit,
 suamque vt saluberrimam doctrinam haberent sartam tectam,
 cum Wittebergensis academia ipsi esset erepta, aliam, qua do-
 centes discentesque veritate simulac pietate confirmarentur,
 serio meditatus est: et iam tum a. d. XIV. Kal. April. MDXLVIII.
 Ienae, propter amoenitatem loci et salubritatem aeris, primo
 quidem gymnasium academicum per filios serenissimos eri-
 gendum curauit: qui perquam sollicitate, parentis mandato, ce-
 leberrimos conuocarunt omnium ordinum doctores, vt ipso-
 rum a consiliis essent, qua ratione et optime, et facillime, voti
 fieri compotes, constansque veritatis et religionis asyllum,
 omnium vero scientiarum et elegantiorum literarum adaper-
 tum emporium habere possent. Inprimis hoc datum negotii
 Gregorio Pontano cancellario, et Nicolao Amsdorffio theo-
 logo, vt gymnasi sapienter et auspiciato instituendi curam
 haberent, atque id agerent sedulo, ne quid detrimenti capiat
res ecclesiae et scholae publica, sed feliciter, ex sententia et
 mandato principis optimi, iam captiui, omnia instituantur.
 Cum anno MDLII. IOHANNES FRIDERICVS, Saxoniae
 B dux

dux et elector magnanimus, custodia tandem liberatus esset, remque in patria domesticam et publicam ordinasset: vt florentem quam maxime recens instituti Ienensis gymnasii statum cognouit, anno proxime sequente, Bruxellis a CAROLO V. imperatore plenissima pro eo priuilegia petiuit, vt academia esset, ac reliquas omnes in Germania et vbiq; nobilissimas auctoritate ac iuribus aequipararet. Antequam vero ea impetrasset, rebus plurimis pace et bello praeclare gestis, atque filiis successoribus suis procuranda Ienensi academia sigillatim commendata, v. Non. Martii 1514. placide obdormiuit, atque sequens epitaphium meruit: *IOHANNES FRIDERICVS, Dei gratia electus martyr Iesu Christi, dux afflictorum, princeps confessorum fidei, comes veritatis, signifer sanctae crucis, exemplum patientiae et constantiae, heres vitae aeternae, dormiscens in Christo migravit ex hac miserrima vita in coelestem patriam, Vinariae mense Martio anno 1514. aetatis LI.* Testamenti tabulis, in arce Grimmensteina, sabbato post D. Nicolai, 1514. confectis, magnanimus atque Deo deuotus heros etiam cauerat inter alia, vt filii priuilegia academica vrgerent, ac impetrata in gymnasium Ienense, cuius primordia vidit auspiciatissima esse, confestim atque feliciter introducerent. Medius dux IOH. GVILIELMVS, eodem anno, cum ordinis primi aliquot consiliariis, Bruxellas in Brabantiam se contulit, ac priuilegia vt nancisceretur, pro Ienensibus Musis, apud CAROLVM V. imperatorem, quam subiectissime intercessit: quae illi denegata quidem non fuerunt, dilata vero longius, quam par est, vt infecta re discederet. Nullis tamen sumptibus parcere voluit, eandemque ob causam ad FERDINANDVM, Romanorum regem, Pragam anno 1517. profectus est, quem, religionis atque literarum amantissimum principem, cum, petitionem repetens suam, conueni-

venisset, voti statim factus est compos, et amplissima pro Ienenfibus a Caesare priuilegia academica reporravit. Tres autem filii ditionibus tribus, IOH. FRIDERICVS II. Gothano, IOHANNES GVILIELMVS Vinariensi, et IOH. FRIDERICVS III. Ienensi ducatu, pie defuncto ac beato parenti successerunt. Quamprimum hi Caesarea ad condendam auspicato nouam academiam priuilegia tandem a FERDINANDO I. imperatore acceperunt, Ienae vnanimis conueniunt, eamque academiam, populi magno concursu, lectis eo pertinentibus priuilegiis, ac traditis cum insignibus electo academiae primo rectori, Iohanni Schroetero, Vinariensi, medicinae doctore et comiti palatino Caesareo, iv. Non. Febr. MDCLVIII. splendida panegyri magnaue pompa, quam solennissime inaugurarunt, ac celeberrimos omnium ordinum professores constituerunt. Memorandum hic monumentum, quod sub dio est, templi academici, turri collateralis, qua in theologorum maius auditorium, et medicinae doctorum remotius ascenditur, affixum: quod primo intuitu Serenissimorum Saxoniae Ducum, Thuringiae Landgrauiorum etc. arma et insignia gentilitia in eminentiori loco affabre insculpta, inferiori loco aureis literis versus ostendit:

Cum distracta suo bellisque obnoxia fato,

Abductum generet Saxonis ora ducem;

Templaque lugerent, plantariaque addita templis,

Ingeniis tradunt quae bona vera scholae:

Ille, fauens studiis et honestis artibus, absens

Hic dedit Aoniis oria grata choris.

Ornarunt decus hoc soboles generosa parentis,

Tres fratres, armis et pietate graues.

Christe tui coetus custos, et maxime vindex,

Da pacem, studiis vt celebrere bonis.

Bibliothecam quoque liberalis et indulgentissimus Princeps IOH. FRIDERICVS I. quam multis sumtibus in Wittebergensi academia instructissimam habuit, obsidione soluta, veniaque a victore impetrata, extractam, transportari Ienam ac nouae academiae singulari ornamento esse iussit. Bibliothecarius illi quidem omnium primo, quantum constat, M. Georgius Rosarius praefectus est: cuius et sequentium industria, principum vero magnis impensis, mox etiam mirum in modum aucta fuit. Doctores academiam hanc ab initio in hunc vsque diem semper omnium ordinum longe celeberrimi et excellentissimi ornarunt; principes ac literarum fautores magis in dies ditarunt, atque beneficiis omnibus cumularunt; studiosae vero iuuentutis tanta frequentauit copia, vt milenos plerumque habuerint academicos, quorum alibi vix centenos numerare potuerunt. Sic sane Academia illa, Germaniae corona, et vna omnium florentissima bonarum artium officina, diuinitus instituta, originem suam agnoscit incomparabilem esse principis optimi pietatem: cuius initium, successus, atque mirifica in hunc vsque diem, illius candidissimum natalem, conseruatio, verissima laus et gloria maximam partem a timore Domini dependet, qui terras scholasque solum fortunare ac nobilitare solet. Vulgus parabilem victus rationem in causa esse contendit, *b)* quae in aliis locis etiam cum egregia virum eruditissimorum fama non est contemnenda, nec vsquam sibi tantum studiosae iuuentutis confluxum promittere potest. Sua tamen etiam saepius debuit experiri fata, quae pluribus recensere, huius loci non est. Vnum alterumque, vt nihil prorsus, in rerum hac perpetua vicissitudine, ex omni parte beatum esse appareat, simulatque tutissimum in timore Domini periclitantibus asylum patere demonstratur,

vos

b) Vid. P. BERTH comment. rerum German. l. 3. p. 169.

vos autem, Honoratissimi Auditores, nostris aliorum calamitates quoque communes aut simillimas fuisse, intelligatis, in medium proferam. Iureiurando professores obligantur omnes, ne quid contra religionem moliantur, et legibus vel statutis academicis semet accommodare sanctissime studeant: vt salutem publicam promouere pro viribus, atque concreditam sibi studiosam iuuentutem erudire diligenter et perquam solícite instituant: vt concordiam sine inuidia, calumniis, et aemulatione foueant: vt omnia rectoris et senatus academici decreta, consultationes, et consilia quodam silentii sipario inuoluant, ac prodere prorsus nihil aut propalare conentur. Contra qui fecerunt, sine personarum respectu, exauctorati sunt. Bene, consulto, pie, ne quid detrimenti res capiat academiae publica, quae sine legum obseruantia et pietate nulla est. Perquam solícite vero etiam, vt timor Domini, et vera virtus instilletur plurimis, omnia mature suffocanda sunt, inter doctores simul, atque inter discipulos, discordiae semina, quae res maximas quoque et florentissimum vniuersitatis statum inturbare ac miserimum in modum affligere solet. Illustres hinc etiam suisque meritis inclutos, orthodoxis autem de doctrina suspectos professores Ienensi academia nunquam admiserunt, vel erroribus cognitis tandem, ne pars sincera trahatur, confestim exulare iusserunt. Exempla in promptu sunt, iaceant vero, ne quam partem offendere videamur, longa nocte sepulta. Etiam angelicam, eruditissimam, et omnibus vitiis exemptam incolemus ciuitatem, nos homines tamen esse reminisci oportet, ac ingenue profiteri, a nobis humani nihil alienum fore. Generis humani calamitates, aerumnae, pericula, curae, labores, et omnibus vbique communes miseriae, vix ac ne vix quidem enumerari, nedum satis describi possunt. Saeua pestis cum anno MDLXXVIII. Ienam infestaret, magnaue hominum copia breui

breui temporis spatio perirent: academia, vt incolumis extra mortis repentinæ timorem seruaretur, tantisper Salfeldam translata, per integrum annum secure ac tranquille, gratia diuina, egit, dum formidabilis omnibus contagio cessare visa est. Ita plerique, timore Domini ac virtute confirmati, ad pristinam Musarum sedem reuerterunt, ac valde gauisi sunt, quod, sub protectione diuina prouidaque Numinis custodia, nullis pestilentiae telis expositi, ad salutem euaserint. e) Viderunt Ienenenses tunc, atque nos hodie videmus, pereuntibus aliis, alios, singulari Numinis benefici gratia, quibuscunque periculis, ad maiorem animorum voluptatem, conseruari. Quotus vero sapientum etiam quisque infinitam T. O. M. Dei iustitiam simul atque clementiam, vel, grauissimas inter poenas, summa, quibus suos seruat cumulatque, beneficia satis valet euehere laudibus. Hominum magis magisque in dies videmus ingrauescere peccata et omnis generis flagitia, exulare pietatem, iustitiam, amorem, omnesque virtutes: vt humanitatis vix quicquam in hominibus, nedum religionis cultusque diuini aliquam curam, superesse appareat: tacita vero summi iudicis vbique subaudiatur comminatio, pereundum esse omnibus malicia et iniquitate sua, quandoquidem suis carnalibus quique capti voluptatibus, sancti Spiritus correctionem atque vocem incunctissimam accipere nolint. E longinquo fatis diu Germanis quoque in diuersa euntibus, ac inuicem iniquissime obtristentibus, iustissima Numen diuinum ostendit iudicia sua quam indulgentissime: vt sibi tandem respicientes consulerent ipsis, ac meritas imminentesque auerterent poenas: quoad gratiae coelestis ac misericordiae diuinæ, per Christi sanguinem, aliquis superesset locus. Multa per omnes orbis partes inundationibus, procellis, terræ motibus, naufragiis, fame, peste, flammis, armisque hominum perierunt millia: ad incitas et insignem

e) Pf. XCI.

signem

fignem miseriam redacti sunt alii: et aliorum non numeranda est multitudo, qui, publicam et priuatam calamitatem sentientes, complicatis elatisue in coelum manibus, sero nimis conditionem suam deplorare debuerunt. Tristibus ac memorandis hominum, omnium ordinum, aetatum, sexus vtriusque, tot plagis, continuo addita Christi seruatoris nostri vox diuina: nolite vobis persuadere, o boni! vel illos, quorum sanguinem Pilatus sacrificiis immisit; vel illos magna turris collabentis mole obrutos, vobis deteriores, magisque peccatorum reos fuisse. Non fuerunt profecto, et, mihi credite, nisi ad meliorem frugem redieritis, omnes pari modo affligendi iam iam ad exitium properatis. Quod nobiscum aliis quoque omnibus dictum esto. Ad Ienenses vt redeamus, eorundemque publicas, pietate ac timore Domini pridem superatas, calamitates consideremus, pestilentia rursus vrgente, anno *MDCCCXXXVI.* illustri academia, vt clementi mortis ac vitae summi arbitri protectione seruaretur, quoad miseria ciuitatis afflictæ transeat, aliquantisper semet Kahlam ac Butstadium contulit, *d)* suamque conseruationem benefico Numini acceptam retulit. Tristissima erant ciuilis et funesti tricennalis belli tempora, quibus Germaniae omnes prouinciae, vt nunc, proh dolor! etiam miserimum in modum affligebantur. Ienam a. *MDCCCXXXVII.* palantes Musæ vix reuerterunt, cum ciuitas, tot afflictionibus exagitata et contremiscens, Nonis Februarii, dominica Septuagesima, Goetzio duce, ab irrumpentibus ac furiosis Caesareae maiestatis militibus diriperetur penitus, nec vlla humanitatis habita ratione, homines omnium ordinum, vel ditissimi, ad incitas redigerentur. Academia vero, dicata dilectaque Deo, iam tum V. Id. Ianuarii eiusdem anni Ratisbonae datas a Ferdinando II. Imperatore securitatis plenissimæ accepit literas,

vt

d) Vid. FRIDERICI LVCAE Europaeischer Helicon p. 419.

XVI.

vt a militis Caesarei et imperialis quibuscunque exactio-
 bus, contributionibus, ac hospitio, semper libera et immunis ef-
 fet, cum omnibus illi quodammodo subiectis. Imperatores
 etiam Caesarei, Iohannes Hasso-Braubacensis Landgravius,
 et Goetzius comes, postridie in statione Ienensi, cum a furio-
 sis militibus praedae iam factum esset satis, qui nec ordini, nec
 aetati, nec imbecillitati sexus, parcere voluerunt, academiam
 et omnes, qui ad eam pertinebant, liberalissime, literis publice
 datis, protegendos ac forti manu defendendos susceperunt: e)
 vt, intra ipsius spoliatae ac vastatae vrbs moenia, communem
 et extremam calamitatem vix sentire aut quidquam periclitari
 viderentur. Ita sane, quos Deus, fortis et omnipotens exerci-
 tum dux, vindicat, fouet, ac tuetur, hostium, vel maximus, fu-
 ror perdere nequit. In mentem saepe mihi quaestionis venit
 de iure belli gerendi; quod plane contra naturam omnem, ac
 generis humani atrocissima videtur esse pestis: vt homines hu-
 manitatem exuisse oporteat, qui adeo saeuire inuicem, obruere
 ac perdere homines non erubescunt. Vim, fateor, vi repellere
 licet, imo necessarium est, si nos nostraque seruare ac tueri, aras
 focosque defendere, patriam ab hostium insultibus, iniuria, ra-
 pinis, vindicare, et publicam salutem sartam tectam habere
 cupimus. Si quis vero, non laceffitus, sola plus habendi, aut
 leuissimam quamque offensionem vlciscendi cupiditate, ad
 saluberrimam tranquillitatem turbendam, vicinos sibi populos
 armis persequi ac debellare non veretur: vt innocentissimi
 homines exuantur, diripiantur, oppida, vrbes, agri vastentur,
 inopia, fame, summa calamitate et miseria tandem impleantur
 omnia: is profecto non hominis, nedum Christiani nomine
 dignus, quamuis irati Numinis formidandum habeatur flagel-
 lum, nefandi criminis reus, ipse in exitium ruit, neque iustissi-
 mam

e) Vid. IOH. SEBASTIANI MULLERI annales Saxonici p. 354.

mam summi iudicis poenam effugere potest. Quoquo se res habeat modo, bella, varias ob causas, plus saepe habendi cupiditate, ab antiquissimis temporibus gesta sunt, et hodie, ad regnorum ingens detrimentum, et longe maxima populorum, etiam hominum innocentissimorum, damna perniciemque, geruntur. Adeo fera hominum autem in orbe nunquam fuit natio, vt, Numinis aeterni et omnipotentis sensu cultuque necessario, et iustitiae, actionum quarumque moderatricis, amore, literarum et sapientiae non suspexerit studia, neque Musarum alumnos ornare quouis modo studuerit: quae Martis ipsius iucundissimae sunt affectae, suorumque tutorum, qui Musagetarum sibi pridem vindicarunt gloriam, res memoratu dignas, laudes, atque merita, longae posteritati commendare solent. Vtrinque hinc maxima commoda semper fuerunt: vt heroum perennis memoria celebraretur, et larga doctissimos quosque homines munera manerent. Diserte hoc laudat poeta: f)

Cura Deum fuerant olim regumque poetae,

Praemiaque antiqui magna tulere chori.

Sanctaque maiestas, et erat venerabile nomen

Vatibus: et largae saepe dabantur opes.

Ouidio ipsi, elegantissimo poetae, cum Tomis in exilio mortuus esset, barbara et inculta Getarum gens, quamuis gloriae cuiquam nihil, nisi armis exercitato, tribueret, ac plane a mansuetioribus Musis esset aliena, solennes non solum iuerunt exequias, verum etiam monumentum sepulcro magnificum imposuerunt. g) Sic homines barbari politum ac peregrinum, vel ob diuinam poesin, quam ipsi non capiebant, viuum et mortuum magni

f) OVIDIVS artis amatoriae l. 3.

g) Comment. de virili aetate Lat. linguae P. I. c. 3. §. 38. p. 258. seq.

magni aestimarunt, suamque erga liberaliores Musas benevolentiam testari voluerunt. Apud veteres Germanos atque Gallos quanta fuerit sacerdotum ac druidarum in bello et iudiciis auctoritas, post TACITVM *b)* CAESAREMque *i)* multi memoriae prodiderunt. Nec hodie quisquam heroum fortissimorum, vel ipso flagrante bello, mansuetas, inermes, pias atque Deo deuotas, facile aggreditur Musas. De Graecis Romanisque res vulgo notissima. Philippus, Amyntae filius, Macedoniae rex fortissimus, cuius arma et virtutem tota Graecia pertimescebat, cum bellis per omnem vitam esset implicatus, a liberalioribus Musis nunquam fuit alienus, et viros eruditissimos beneficiis cumulare studuit, quos inter Aristotelem tanto profecutus est amore, vt sua manu ad eum scriberet, natum sibi filium esse, quod Deo referat acceptum, illis temporibus, vt, erudiendum a tanto philosopho, sperare possit. *k)* Alexander, Magnus domitor orbis, mirum in modum Iliade Homeri delectatus est: quod elegantissimum poema semper, vel inter arma, circumtulit, rei militaris conuenit appellare viaticum, legitque diligenter, secum, quoties cubitum iuit, cum gladio posuit, ac vnum velut longe maximum thesaurum capsula pretiosissima custodiendum esse iudicauit. *l)* Rex ille, qui fortunam aequauit virtute, perquam sollicita parentum cura, bene doctus ab Aristotele, in castris etiam multos rerum suarum scriptores vbique secum habere dignatus est: atque in Sigaeo cum aliquando ad Achillis tumulum adstitisset, o fortunate adolescens! dixit, qui virtutis
tuae

b) German. cap. 7.

i) De bello Gallico lib. 6. cap. 13.

k) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 9. cap. 3.

l) PLINIVS hist. natur. l. 7. c. 29. PLVTARCHVS Alexandri vita.

XIX.

tuae præconem Homerum inuenisti. *m*) Cum Thebas caperet, Pindari vatis familiae ac penatibus parcere iussit. *n*) Aristotelis philosophi et praeceptoris sui patriam condidit, *o*) atque, vt animalium historiam exactius scriberet, multa ei hominum millia parere voluit. Xenocrati philosopho aliquot talenta per legatos misit: qui frugalitate sua professus est non indigere pecunia. Diogenem Cynicum etiam inuisere non dedignatus est, ac frustra illi sua munera promisit. *p*) Syracusis expugnatis, Marcellus, belli dux fortissimus, senferat quidem, Archimedis machinationibus urbem diu multumque seruatum, victoriamque ipsi prohibitam fuisse: hominis tamen prudentia valde delectatus edixit publice, vt eius capiti parceretur: quem cum miles forte, formis tuis in puluere descriptis intentum, enecasset imprudens: aequo caedem non potuit ferre animo, plus detrimenti ponens in Archimedis iactura, quam gloriae in Syracusarum acquisitione: mortuum ipse curauit sepeliendum, et hoc egit prouidentius, vt defuncti nomen atque memoria propinquis etiam inquisitis honori ac praesidio esset. *q*) Scipio Africanus senior, ille victoricibus armis inclutus imperator, Quintum Ennium poetam secum habere semper voluit, ac omnibus cumulare beneficiis, adeo quidem vt mortuum quoque in monumento suo condi, ac statuam eius sepulcro suo imponi iusserit. *r*) Pompeius Magnus,

- m*) CICERO orat. pro Archia c. 10. ad diuersos l. 5. epist. 12. n. 24. PLVTARCHVS Alexandri vita.
- n*) PLINIVS l. c. *o*) Ibidem.
- p*) VAL. MAX. lib. 4. c. 3. exter. n. 3. et. 4.
- q*) LIVIVS l. 25. c. 31. PLVTARCHVS vita Marcelli, VAL. MAX. lib. 8. c. 7. extern. n. 7. CICERO de finibus bonor. et mal. l. 5. c. 19. init. in Verrem lib. 4. cap. 58.
- r*) CICERO orat. pro Archia poeta c. 9. LIVIVS l. 38. c. 56. OVIDIVS



Magnus, de cuius aeternis in elegantiores literas meritis, alio satis dictum est tempore et loco, s) Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum Romana ciuitate donauit: omnesque sub eius imperio viri fortes, etiam rustici, militantes, gloriae quadam dulcedine commoti, eiusdem laudis quasi participes, illud magno clamore approbauerunt. t) Possidonii philosophi cum intraret domum, fores vetuit more solito ab lictore percuti, ac iannae viri docti fasces lictorios ille submitit imperator, cui semet oriens occidensque submitit. u) Caesar Octavianus Augustus, qui communis literatorum omnium fautor beneficus atque summus patronus erat, Alexandrinis, bello iam deuictis, semet professus est tribus de causis pepercisse, ob Alexandri memoriam, urbis pulchritudinem, et Arrii philosophi amorem. x) Neque adeo mirandum, homines etiam barbaros, cum satis iam ubique literarum gloria peruulgata esset, quam lubentissime, non vni dicam homini, sed integris doctissimorum societatibus, atque summorum principum indultu, priuilegiis et immunitatibus suis efflorescentibus academiis, inter arma, belloque flagrante, pepercisse. Ienenfes funesto tricennali bello durissima quaequae, nunc a Caesareo, nunc a Suedico milite, saepius experti sunt: academia vero illorum, sub forti ac insuperabili Numinis protectione, semper incolumis et salua perstitit: imo, inter ipsas populi afflictissimi aerumnas, aucta continuo, et principum liberalitate mirum in modum dotata fuit. Fundatoris eiusque successorum serenissimorum incomparabilis aeternum laudatur muni-

artis amator. I. 3. c. 409. PLINIUS histor. natur. I. 7. c. 30. YAL. MAXIMVS I. 8. c. 15. SOLINVS c. 7.

s) Comment. de virili aetate Lat. linguae part. I. c. 2 §. 9. p. 102. seqq.

t) CICERO orat. pro Archia c. 10. Confer. STRABO geogr. I. 13.

u) STRABO lib. II. x) PLVTARCHVS Antonii vita.

munificentia, vt accessiones aliae super aliis felicissimam sapientiae hanc officinam in dies magis atque magis ornare viderentur. Seculo ineunte superiori MARCVS GERSTENBERGERVS, iuris doctor et cancellarius Vinariensis, ad duodecim alumnorum sustentationem, annua florenorum quatuor millia legauit. Anno **MDCCXVII**. Serenissima Princeps DOROTHEA MARIA, Anhaltina, IOHANNIS Saxo-Vinariensis beati ducis vidua, ex opibus propriis, academiae, vt magis floreret, florenorum viginti millia testamenti tabulis legata reliquit. Ad viduas et orphanos professorum alendos, Saxoniae duces IOHANNES CASIMIRVS tria, et IOHANNES ERNESTVS tria florenorum millia suppeditarunt. Anno **MDCCXXX**. coenobii Quedlenburgensis praefecta, siue Abbatissa, DOROTHEA SOPHIA, Saxoniae ducis FRIDERICI GVILIELMI filia, vt professorum quorumque augeter salaria, annua florenorum quatuor millia donauit: quibus et Remdae dynastiam cum omnibus pertinentiis atque iuribus vsurpandam Saxo-Alrenburgenfes et Vinarienses serenissimi duces liberalissime addiderunt. Sed beneficia, quibus Principes ac Maecenates munificentissime Salanam academiam cumularunt semper atque ornarunt, omnia enumerare, longum est: mentio quorundam solummodo facienda, vt, tristissimo etiam belli tempore, vel inter arma, suos Musagetas habuisse, et magis, ad florem perpetuum, succreuisse, constaret. Imo, testibus quoque annalibus Saxoniae, necdum finito bello, illo quidem semper deplorando (nam et proelium ad Susmarshusium Nonis Maii commissum, et Praga a. d. xvi. Kalend. Iulii a Suedis expugnata, et passim alibi debellatum est, donec pax tandem prid. Id. Octobris Monasterii et Osnabrugae sanciretur) exultantes ac laetae Ienenfes Musae a. d. xiv. Kal. Aprilis, ludica dominica et sequentibus diebus

diebus MDCLXXXVIII. festum seculare primum auspicato et feliciter celebrare coeperunt. Iudicate, auditores, quanta seculo sequente, nunc etiam exacto, pacis temporibus exoptatissimis, incrementa et ornamenta habuerint. Statum praesentem iam multis partibus plures descripserunt, et omnia satis accurate, nec minus vere, quam luculenter, memoriae prodiderunt: quae nos quidem, ad summam fortunatarum iuxta Salam Musarum laudem et gloriam, non satis admirari, nedum praedicare sufficienter possumus. Habuerunt Saxoniae duces indulgentissimos atque beneficos Musagetas, Vinarieenses et Isenacenses, Gothanos, Coburgenses, Meinungenses, Salfeldenses etc. quorum heroica facta, et insignem, qua simul omnes Musas liberaliores amplectuntur, gratiam merito iam summis in coelum euehant laudibus. Habuerunt Maecenates, proceres, atque curatores, quorum providentia, commendatione et benevolentia, succrescere haud difficulter, et maximopere laetari potuerunt. Habuerunt inde a fundatione ipsa, et habent, in hunc usque diem, quos impense profecto gratulantur sibi, doctores omnium ordinum excellentissimos et longe per omnes Europae regiones celeberrimos, quorum nomina et nos haud immerito veneramur, atque tot elogia esse putamus, quibus sufficere oratio mea omnium minime videtur. Habuerunt, et habent etiamnum, generosae nobilitatis ac studiosae iuuentutis eam frequentiam, quam professores in aliis academiis usquam vix sibi promittere possunt. Habuerunt in academia fortunata et florentissima ab anno MDCLXXII. disquirentium academiam. Habent, ut omnium scientiarum, elegantissimas quoque linguarum vernaculae Germanicae, et Latinae, nimis, proh dolor! iam aliis in locis neglectae, societates: quae ornamenta illis non vulgaria, cum omnibus commodis, proficiendi

ficiendi facillima ratione, ac necessario masculae, vt sapientiam inuoluit, eloquentiae studio suppeditare videntur. Habent per orbem vniuersum volentem eruditionis omnigenae famam, bibliothecas instructissimas, obseruatorium, hortum medicum, amplissimas exercitationum quarumque scholas, et quicquid lectissimam scientiarum artiumque bonarum omnium officinam quocunq; modo nobilitare valet: vt iure optimo iam, festo seculari altero, ad communem orbis literati voluptatem, ludos instituunt triumphales, maximam publice testentur suam laetitiam, atque rerum quod quis iucundissimarum votis omnibus exoptare potest, suo sinu gaudentes faustaque inuicem sibi acclamantes comprehendant.

Hanc felicitatem, et candidissimum, quem hodie, superatis duobus seculis, celebramus, ducentissimum primum natalem Vobis, Academiae ad Salam iubilantis Magnifici Rectores atque Statores, omnium ordinum Professores excellentissimi, florentissima quoque studiosae iuuentutis corona, et quotquot e literatorum numero tantae felicitatis et gaudiorum communium participes esse cupitis, ex animo iterum iterumque gratulamur. Numinis aeterni vt infinita beneficia quotidie et omnibus horis cumulentur, hoc etiam vel in primis eius gratiae incomparabili referimus acceptum, quod, pulsa iam pridem insolenti barbarie, instauratas, cum ipsa religione puriori, bonas artes et scientias diuinitus concesserit orbi, earundemque in scholis et academiis facilius acquirendarum vberrimam rationem bonis omnibus suppeditarit. Vestra cum aliarum academiarum haec sunt gaudia commodaque non exigua, quod, Deo dante, ac principum Musagetarum singulari beneuolentia, vberrimis immunitatibus et priuilegiis laetari potestis, atque adeo quibuslibet oneribus, quae aliis in rep. vel inuitis incumbunt, non minus belli,
quam

quam pacis tempore, penitus exempti ac liberi, honestis tantum studiis intenti, otio liberali et iucundissimo, nec sine quadam insigni voluptate animi, quam auspiciatissime res vestras agere, viribusque coniunctis facilius et commodius, cum salute publica, liberalium quarumque artium et elegantioris literaturae incrementa promouere consueuistis. Haud immerito hinc Summo Numini, felicitatis vnico statore et seruatore, iam solenni ac seculari festo, maximas pro beneficiis omnibus, integris duobus seculis, etiam quotidie horisque singulis, in immensum accumulatis, agere gratias instituistis: vt ora simul omnium in iubila gaudiaque resoluta videantur. Nos autem, gaudiorum eorundem participes, idemque iubilaeum inter bona verba votaque calidissima vobiscum celebrantes, nobismet ipsis, procul, ac si coram cerneremus, accurate omnia contemplari videmur, ac nostris quasi perlustrare oculis, quae maximam hilaritatem produnt. E longinquo nobis persuademus, quasque simul apparere delicias et supplicationes vestras; inter buccinas, et nablia, et tubas, concentum plane diuinum auidas recreare aures nostras; animorum nos attentione pia auidius excipere ac intelligere satis castigatas ad eloquentiae et sapientiae normam orationes; poetarum dulcia carminibus variis certamina exaudiri; omnium applausus, omnium congratulationes, serias omnium et ex animis profectas acclamationes, omnium preces ardentissimas sensibus clare satis percipere, ac votis communibus obsignare nostris. Hic profecto festorum secularium scopus est, vt Deo T. O. M. maximae pro beneficiis tempore longo continuis et innumerabilibus gratiae agantur: beneficii Numinis summa clementia praesidiumque ingens concionibus publicis laudentur: Principum indulgentissimorum liberalitas ac virtutes, vt decet, commendentur: illorum quoque magnarum atque procerum, quorum saluberrimis principes plerumque

que

que vtuntur consiliis, in literas et literatos meritâ efferantur: virum quoque doctissimorum pietas atque constans, in propa- ganda veritatis et sapientiae doctrina, studium et ratio simul, ac pristini temporis ignorantia grassa et barbaries, cuius in- tolerabili onere saniores nunc liberati sunt, omnibus ante oculos ponantur. O boni atque dilecti Deo! merito iam om- ni superata barbarie, post victoriam, quam reportatis ab ignauia, pulcherrimam iustamque, ludos potestis edere tri- umphales, ac fausta vobis promittere omnia. Euentissim- um habetis gratiae ac misericordiae diuinae argumentum: vt nos quoque, bonis commodisque vestris excitati, eorun- demque gaudiorum participes, non possimus non felicia lae- taque ominari et apprecari vobis, quorum merita amplissima semper suspeximus, nominaque celeberrima, pro ea, quae inter nos intercessit, amicitia, et amoris mutui necessitudine, vene- rati sumus. Haec autem nostrorum votorum summa est, vt pridem confirmata Salanae academiae felicitas et gloria subsi- stat pluribus seculis atque perennet. Fortunam hanc ipsi nobis praestare debemus: atque vtinam quietis temporibus eandem magis aperte inuicem gratulari, ac literis, sine quibus viuere mors est, certare, vt literatos decet, i. e. amicissime possimus.

Ad vos ergo nunc mea se conuertit oratio, Sere- nissimi Principes et Saxoniae Duces, quotquot, in hunc vsque diem, florentissimam Ienensium Academiam, in- comparabilem ac nobilissimam Musis sedem, liberalitate ac munificentia vestra conseruare voluistis. Musagetas Vos vestramque virtutem omnes vbique, et longa posteritate, qui literis bene cupiunt, summis euehent laudibus, et vestram eru- ditionis omnigenae splendidam officinam, sub indulgentissima Principum optimorum protectione, felicem praedicabunt. Agnoscimus et laudamus vna cum ciuibus vobis subiectissimis,

D

omni-

omnibus inferendam annalibus, vestram in Salanas Musas benevolentiam, virtutem ac prouidentiam: qui in ipso ferali et atroci bello, quo, proh dolor! iam in pluribus Germaniae provinciis, incertum praesidii an exitii ferendi nomine, irrumpentes copiae, rapinis, caedibus, incendiis, terroribus et comminationibus, impedimentis et intolerabili exactione, omnes nocendi vires explicare videntur, pacis quam maxime studiosi, mitigare hostes, et calamitatem quamcunque imminentem, iuxta Deum vobis propitium, auertere singulari prudentia consueuistis. Deus Vos seruet quam clementissime, vestrae fortunet consilia, vt successus inde felicissimos semper ac diuittissime vobis gratulari possitis. Pergite, vt facitis, ad communem patriae salutem, viribus coniunctis, vestram seruare, tueri, augere Academiam, qua maiores etiam vestri, memoriae beatissimae, profiteri non dubitarunt, κειμήλιον in terris suis melius praestantiusque non habere: vt, saluis Principibus indulgentissimis, salui sint omnes docentes atque discentes in florentissimo seminario: vnde magna copia sumendi sint viri, quibus ad maiora commoda et patriae salutem perennem, semper munera publicorum praecipuas partes mandare possitis.

Omnipotens atque misericors Deus, sapientiae, felicitatis et omnis boni fons inexhauste, quam deuotissimas tibi, vt debemus, maximasque agimus gratias, quod non solum hanc Rintelensem nostram, verum etiam lenensem florentissimam academiam in hunc vsque diem clementissime conseruasti. Serua in posterum quoque, tuere, auge, et orna vtramque. Serua Principes literarum ac literatorum amantissimos: vt, singulari tua gratia per omnem, quae iam penitus est oppressa et miserabiliter afflicta, Germaniam pace restituta, continuo laetari et optime de patria mereri queant. Serua iustos et aequos solidioris doctrinae arbitros, statores, et Maecenates,
vt,

XXVII.

vt, pro meritis, eruditissimi quique omnium ordinum viri
 iuuentur, neque desint academiis olim, qui salutem publicam
 quouis modo promouere possunt ac lubentissime volunt.
 Serua docentes atque discentes vera pietate, sapientia, virtu-
 tis vt literarum studio ac filiali timore et amore tui: vt artes
 bonae facilius vbique ac felicius, ad diuinam nominis tui glo-
 riam, patriae salutem, atque plurium commoda, perdiscantur.
 Inprimis, o Deus! pro sapientia et sanctitate tua, fac hodie vt
 Academia Salana, cuius nobiscum vna voluptas, auspicato ac
 felicissime tertium a fundatione ingrediatur seculum, crescat,
 vigeat, floreatque semper: fortissime nobiscum illam tuere,
 fortuna, et ab omnibus doctrinae, pietatis, et elegantiorum
 literarum hostibus insultibusque barbarorum securam, inte-
 meratam et inconcussam praesta: vt posthac etiam semper
 in ea omnes eruditionis, quae cum pietate ac timore Domini
 coniuncta, solidioris aeternare famam, atque studio indefesso
 merita in dies meritis cumulare nunquam desinant.

*Plaudite, Castalides: schola vobis cara Ienensis
 Iubilat, exsultat, ducentis perstitit annis,
 Atque fauente melos gratum iam Numine cantat.
 Confestim votis flagrantibus addite vota,
 Felix vt posthac gaudens florensque perennet,
 Numinis omnipotentis grandia munera laudet,
 Tempora sentiat optatis laetissima semper,
 Festaque multoties ludis seclaria pandat.*



Ms. 486

ULB Halle

3


001 976 869



sb

M. L. 02. 02. 01







SOLENNITER AC PVBLICE
LVDOS
FESTO SECVLARI
ALTERO
TRIVMPHALES
ACADEMIAE AD SALAM
IENENSI
AD VISVRGIM RINTELIENSIS
IV. NONAR. FEBRVARII
CICID CCLVIII.
GRATVLATVR
INTERPRETE
IOHANNE NICOLAO FVNCCIO
MARBVRGENSI.

RINTELI
STANNO IOH. GODOFR. ENAX ACADEMIAE A TYPIS.

14

f

15

